Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 789
Quelle:
Copyright:

Exemplum porro nostrum non modo ab edit. *Mabillon.* verum etiam a *supracit.* multum differt, ut vel e principio, quod adducam, liquebit. *Si periculum dampnationis eternę quam nequam seruus pro retenta pecunia domini sui meruit uolumus euadere fratres karissimi. sollicite considerare debemus. quam terribiliter euangelicus eum sermo increpat dicens. Serue nequam. quare non dedisti pecuniam meam* &c. Per decursum tamen Sententia, quin et verba passim servata sunt, constructione solum mutata. C. V. ubi *Simoniaci* belle depinguntur, pro *aurum de locello invebere*, Noster legit: *aurum de sacello minuere.* Finis: *quę sanctis tuis omnibus promisisti dare. Tibi laus. tibi gratiarum actio. tibi honor uirtus et potestas per infinita secula seculorum Amen.*

XXV. *fol.* 99. p. 2. *Hieronymus de Sacris Ordinibus.* Initium: *Sacerdotalis nominis dignitatem quisquis cognoscere cupis* &c. Si paulisper legendo progrederis, incidis in Opusculum *de Septem Ordinibus Ecclesiae*, jam Sec. IX. *Hincmaro Rhem.* laudatum, sed *Isidoro Hisp.* e quo quaedam mutuatur, recentius, atque adeo inter *Hieronymi* spuria locatum T. XI. edit. *Vallars. col.* 113. Atque hic solummodo Prooemium habes, cui Interpolatur Homiliae speciem dedit, ut patet e fine: *deus erit semper memoria tui* (edit. in memoria tua) *et tu ad deum gaudens reuerteris* (edit. in domum tuam reuerteris) *ipso auxiliante domino nostro Jhesu christo. qui cum patre* &c.

XXVI. *fol.* 103. *De Sacramentis septem graduum ecclesiasticorum hier.* Praemisit hic Interpolator: *De Sacramentis septem graduum ecclesiasticorum prout domino inspirante possumus. edissere re summis nisibus inchoamus.* Dein sequitur de primo seu *Fossariorum Ordine*, ut in edit. *Primus ergo in clericis fossariorum ordo est* &c. et sic de reliquis Ordinibus usque ad *Episcopalem*, qui cum *edit.* consentit usque ad illa verba: *ac melioris* (meliores?) *laicos scientię agnitione uel uite intra ęcclesiam recognoveris.* Hic vero in longe diversa, sed, ut mihi videtur, magis cohaerentia abit *Codex* noster, secus ac in *edit.* ubi nescio quae de *Catechumenis*, *Competentibus* ac *Baptizatis* sequuntur, cum *Noster* Episcopum instruere pergat hoc tenore: *Cessa si placet tale aliquid in ęcclesia facere. sed potius prelatos quosque uiros elige. qui ordinati fidem teneant. dominum predicent. salutem adnuntient uniuersis. et his qui peruersi sunt contradicant.* Ita postquam de Ordinatione, de Monachis, de Abstinentia et Jejunio egisset, dixissetque inter alia: *Volentes autem die sabbati ieiunare. ne prohibeas. sed potius iuues.* — *Die autem dominica reficiendum est. ut resurrectionis christi testes gaudium domini gentibus predicemus. Presertim cum apostolica sedes hanc regulam seruat. ut unusquisque episcoporum ęcclesię suę consuetudinem*